

5+6/95

IDIBVS FEBRVARIIS
MCMXCVI

VARIVS
IOR VARIVS
VMOR VARIVS
RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
IOR VARIVS
A IDIBVS

TOMVS 18

FASC. 111

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSI, in aedibus, quibus nomen **aeschlimann** publicity est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	24.--
In Germania	DM	39.--
In Austria	öS	276.--
In ceteris Europae terris	sFr.	36.--
In terris trans maria sitis	US\$	29.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat:

Christina Meier-Portner

Typographeum:
Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam

RVMOR VARIVS
c/o **aeschlimann** publicity
Stadthausstrasse 65
CH - 8400 Winterthur

Institutum pecuniarium:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei **aeschlimann** publicity herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	24.--
Deutschland	DM	39.--
Österreich	öS	276.--
Übriges Europa	sFr.	36.--
Übersee	US\$	29.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout:

Christine Meier-Portner

Druck:
Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o **aeschlimann** publicity
Stadthausstrasse 65
CH - 8400 Winterthur

Bankverbindung:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Nuper narrationem inveni, quae optime ad sollemnia natalicia apta mihi videtur.

Anno 1897^o moderatores actorum diurnorum 'Sun' Novi Eboraci (New York) epistulam acceperunt. Parva puella nomine Virginia scripsit: "Care domine moderator, octo annos nata sum. Nonnulli amicorum meorum dicunt Patrem Natalem (1) non esse. Pater meus dixit id verum esse, si in actis diurnis 'Sun' scriptum est. Dic mihi, quaeso, verum: Estne Pater Natalis?"

Responsum moderatoris nomine Francis P. Church relatio primaria in pagina prima actorum diurnorum divulgatum hominibus maxime placuisse videtur. Ex eo tempore quotannis illa relatio ante sollemnia natalicia divulgabatur titulo 'Certe Pater Natalis est, Virginia!' Ecce versio Latina, quam vobis gaudium allaturam spero:

"Amici parvi tui non recte dicunt. Dubiis nostrae aetatis suspiciosae capti sunt. Nihil credunt nisi id, quod vident. Ea, quae suis mentibus parvis comprehendere non possunt, non esse existimant. Quaeque mens humana parva est, Virginia. Nihil interest, utrum mens hominis adulti an puellae vel pueri sit.

In nostro universo homo est velut insectum, velut formica ratione sua, si cum mundo infinito, qui eum circumdat, comparatur, si cum eo animo, qui totam veritatem et omnem scientiam complecti potest, comparatur.

Certe Pater Natalis est, Virginia! Sic certum est eum esse, ut amorem et magnanimitatem et fidem esse constat. Quas copiosas esse et tibi vitam summa pulchritudine et gaudio afferre scis. Quam tristis mundus esset, si Pater Natalis non esset. Tam tristis esset, ut si puellae velut Virginia non essent. Neque puellarum puerorumque fides neque sensus poetici et romantici neque haec omnia essent, quae partes eius vitae sunt praeter ea, quae sensibus comprehendi et cerni possunt. Lux aeterna, qua puellae puerique mundum illustrant, exstincta esset.

Nisi Patrem Natalem credis, pariter fabulas non credere possis. Adducere patrem tuum possis, ut viros conducat, qui nocte sancta omnes caminos custodiant, ut Patrem Natalem capiant. Sed etiamsi nullus illorum virorum Patrem Natalem descendente videret, quid eo demonstraretur? Nullus homo Patrem Natalem videt, sed ex eo concludi non potest eum non esse. Res verae in hac vita tales sunt, quas neque puellae puerique neque adulti videre possint. An umquam nymphas divinas in prato saltantes vidisti? Scilicet eas non vidisti, sed ex eo concludi non potest illas non esse. Nullus homo omnia miracula excogitare et imaginari potest, quae neque visa neque visibilia sunt in mundo.

Crepitaculum effringere et inspicere potes, quo strepitus efficiatur, sed velum est, quod mundum non visibilem velat, quod etiam homo validissimus divellere non possit, quod ne omnes validissimi quidem viri, qui umquam vixerunt, una divellere possint. Tantum fides, phantasia, sensus poetici et romantici, amor illud velum attollere atque incredibilem pulchritudinem et magnificentiam, quae post velum est, aspicere possunt. Suntne omnia illa vera? O Virginia, nihil in toto mundo est, quod verius et constantius est.

Pater Natalis vivit - deo sit gratia - et semper vivet. Mille annis post etiam aderit, ut animis puellarum puero- rumque gaudium afferat. Certe Pater Natalis est, Virginia!"


Praeterea in hoc libello symbolas nonnullas de argumento, quod libello III° huius anni proposueramus, 'De circumie- torum tutela vel de natura ab hominibus maxime in periculum adducta' invenietis. Etiam hoc argumentum placuisse vide- tur. Genovefa Immé iterum nobis scripsit: "Pulchrum argu- mentum, mea sententia, selegisti, de quo scriberemus: Nam multa sunt de plantis et de bestiis tuendis dicenda, et aetate nostra multum de hoc argumento disputatur, quia homines tandem animadvertunt se adhuc res naturae saepe delevisse et multa bestiarum et arborum genera, quae olim fuerunt, e terris nostris disparuisse."

Maximas gratias omnibus, qui symbolas nobis miserunt, agimus! Vos omnes, caros et caras legentes, rogamus, ut anno sequente quoque nobis scribatis, quia semper symbolis egemus! Omnia nobis grata esse iam scitis. Nolite cunctari, quaeso, scripta de quibuscumque rebus composita nobis

mittere! Id necesse est, ut RUMOR VARIUS permaneat et florere pergat!

Sit vobis annus novus faustus, felix fortunatusque!

Valete!


Daniel Weissmann

1) Pater Natalis Weihnachtsmann/Père Noël/Babbo Natale/
Papá Noël/Father Christmas



DE CIRCUMIECTORUM TUTELA VEL DE NATURA A HOMINIBUS MAXIME IN PERICULUM ADDUCTA

De mundo nos circumdante nobis defendendo atque tuendo

Mundus, qui nos circumdat, non est mundus, sed immundus et sordidus. Etenim homines quoque pars sunt mundi, neque pars munda, sed immunda et sordida, neque taceo partem sordidam, quam homines nobis hominibus ipsis in conspectum dant; plane differret mundus, si homines deessent.

In scriptura sancta legimus terram esse lacrimarum vallem. Praeterea sunt, qui dicant in terra sine hominibus fletum non esse. Quod non credo: etenim iam canem vidi tam tristi facie et oculis paene flentibus, ut mihi clare appareret etiam bestias tristitiam vitae sentire posse. Iisdem de causis puto terram vitamque quiddam esse, quod non esse melius esset.

Nunc autem quaestio mea est, quo modo mundus, qui nos circumdat, defendi possit ab immunditiis, quas homo terrae

nostrae affert. Respondere minus facile est quam interrogare; nam homo in terra exstat iam plus quam duo milia annos, et omni tempore mundum inquinavit, sed quo plus temporis in terra est, eo plus mundum inquinat, et nostris temporibus, vicesimo saeculo, tantopere iam inquinavit mundum, ut interrogandum sit, nonne iam nimis mundum inquinaverit. Quin etiam pluviae et venti inquinati sunt, iamque putamus opus esse nos ad alias stellas errantes volare sperantes nos illic aërem minus inquinatum respirare posse.

Aliud problema aliaque mihi et nova quaestio est haec: Estne homo omnium in terra et sub sole viventium atrocissimus inquinator terrae et mundi? Estne homo ille unum animal, quod in loco pedibus eundi autoraedis utitur et intra urbes et extra terram die et nocte aërem emissariis vaporum ex autoraedis exeuntium inquinat et nobis omnibus venenosa reddit? Quid significat 'mundus nos circumdans'? Nos homines ipsi sumus mundus nos circumdans et nos ipsi inquinamus hunc mundum nos circumdantem. Non dissimulo me putare mundum nostrum sine hominibus multo puriorem esse. Ille, qui maxime inquinat terram mundumque nostrum, est certo nostris temporibus homo.

Nunc autem, cum homo pessimus inquinator mundi sit, quaestio mea nova et alia est atque supra, vel non iam quaero et interrogo, sed constituo mundum nos circumdantem non iam posse ab hominibus defendi, quia homo ipse ille est, qui mundum inquinat. Fortasse poterit aliquando meliorem animum attendere, ut mundus minus inquinet, sed autoraedas omittere numquam poterit, et autoraedae sunt illae res, quae maxime mundum nostrum, terram et aërem, inquinant. Quae cum ita sint, ego non habeo responsum ad quaestionem meam, et ob eam causam nunc taceo.

Emanuel Bernard



De sancto Francisco Assisiensi, naturae patrono

Inter omnes homines, qui a Christifidelibus catholicis et orthodoxis sancti vocantur et auxilio rogantur, Franciscus



Franciscus ad aves loquens (vitri pictura monasterii ecclesiae Königsfelden in Helvetia sitae)


Assisiensis e notissimis et dilectissimis est. Quis ignoret eum a familia nobili Assisiensi oriundum omnia bona humana sprevisse et pauperem inter pauperes vixisse, ut Christum dominum sequeretur?

Haud minus autem notus est Franciscum non homines tantum amavisse, sed etiam - quod est singulare illi tempori, quod medium aevum vocamus - naturam et, quaecumque eam incolunt, fratres et sorores nominavisse et imo corde dilexisse. Sol, nubes, aqua, ignis, maria, arbores, montes, animalia non minimi aestimabat, sed per ea omnia Deum creatorem laudabat et glorificabat.

Iguvii (vulgo hodie: Gubbio), quod oppidum aliquot distat chiliometra Assisio, lupus olim rapacissimus incolas perterruerat. Nemo ab ista belua tutus erat, quippe quae, quemcumque inveniret, statim aggrederetur et laceraret. Iguvini timore et horrore imbuti Franciscum arcessiverunt, quod Deum talis viri sancti preces exauditurum esse pro certo habuerunt. Franciscus autem cum accepisset, quid sibi vellent, "Nolite timere", inquit, "fratres carissimi! Ibo ad lupum fratrem, ut foedus inter vos et illum feriam."

Iguvini vero ei vehementer dissuaserunt, ne moenia relinqueret, quod valde metuerunt, ne ipse lupi cibus fieret. Attamen Franciscus subridens forti animo prae oppidi muris se contulit. Quo vix aspecto lupus rugiens acurrit, sed cum

Franciscum esse animadverteret hominem adhuc ignotum, sicut canis se humum prostravit. Franciscus autem "Malignum, frater lupe", inquit, "in miseros Iguvinos te adhuc gerebas. Pudeat te! Sed quod te non malitia, sed fame adductum facinora gessisse tua bene scio, tibi ignosco atque propono, ut foedus inter te et Iguvinos feriatum condicionibus his: Tu parces et Iguvinis et bestiis eorum, illi autem tibi cibum praebebunt, donec vivas."




Assisium: Ecclesia Sancti Francisci

Ad quae lupus consentiendi causa signum cauda dedit et sanctum Franciscum in oppidum secutus est. Ex quo tempore pax erat inter lupum et Iguvinos, qui tandem bestiam feram tantopere amabant, ut, cum lupus duobus annis post moreretur, flentes obitum eius deplorarent.

Alio loco Franciscus aliquando praedicans avibus blaterantibus perturbatus est, ut denique illos reprehenderet verbis his: "Nolite, fratres et sorores aves, me diutius perturbare, quaeso! Gratias agite Deo creatori vestro, qui vos mirabiliter creavit et vobis et cantandi artem et volandi tribuit! Sed nunc paulisper quietos vos gerite, ut etiam hominibus de Dei magnitudine et caritate narrare


possim." Omnibus valde mirantibus aves statim obmutuerunt. Cum vita Francisci iam ad finem vergeretur, caecus fere in casa foeda diu iacebat. Non autem questus est, sed verbis amoenissimis Dei creaturam laudavit. Carmen, quod tum composuit, ceber ille 'Solis Cantus' est, qui plurimis modis et hodie intra et extra ecclesiam cantatur. Franciscus Assisiensis et plantas et bestias ita curans et amans nostris temporibus patronus naturae creatus est. Quae patrono tam forti et tam strenuo maxime indiget, quippe cui permulta pericula immineant. Quis ignoret silvas pluviosas tropicas cottidie fere minui ex hominum avaritia? Quis nesciat complures bestiarum plantarumque species iam esse eradicatas propter earum spatium vivendi in dies diminutum? Quis numquam comperit aëra nostrum summo destitutum esse periculo? Talibus rebus cognitis ne impediamur, quin advocantes oremus: "Sancte Francisce, ora pro nobis!"

Martinus Meier



Assisium: Francisci sepulcrum

Tegite aves!



Hoc anno institutio nomine 'WWF' (Anglice: World Wildlife Fund) avium refugium in delta Maggiae fluvii situm pago Helvetiae, qui Ticinensis (vulgo: Ticino) dicitur, tradere potuit. Sodales per duodecim annos hanc regionem custodiverant atque coluerant. Hic enim aves, quae raro inveniuntur, velut ispida (Eisvogel) aut ardea cinerea (Fischreiher) tranquilliter nidis incubare possunt. Maggiae delta nunc in numero eorum camporum aquis irriguorum est, qui apud nos multum valent.

Imagine photographica a sinistra parte delta Maggiae fluvii demonstratur.

Barbara Maier



De vulpe in thermopolio

Secundum acta diurna Romana 'Messaggero' thermopolium nomine 'Rossi' urbis parvae in montibus Aprutiensibus (Abruzzi) sitae nomine Civitella Alfedena a conviva novo et miro

frequentatur. Quoque fere die sub vesperum inter horam septimam et nonam (nostra ratione: 19.00 et 21.00) vulpes magna thermopolium, in quo illa hora pauci tantum homines versantur, intrat, et cauponius ei crustum curvatum, quod in Italia 'cornetto' dicitur, praebet. Vulpes alia quoque crusta non repudiat, dummodo ne marmelada impleta sint. Post nonnullas minutas vulpes iterum abire et in montes Aprutienses se recipere solet.

Daniel Weissmann



Pedicae inhumanae sunt!



Iam viginti annis ante hac in terra pedicas ad bestias captandas uti vetitum est. Pleraque terrae Europae hodie pedicas non iam adhibent. Sed terrae ut Canada vetita accipere nolunt. Bestias pedicis captas in alienas terras exportare volunt. Pedicas semper probant. Spectate, quaeso, imaginem illam vulpis captae! Horrenda enim est. Partes pedicae

pennis ferreis contrahuntur. Is, qui vulpem capere in animo habet, partes aperit. Pes vulpis pedicam tectam tangens efficit, ut tormentum claudatur. Vis pedicae ingens est. Pedictum infligit modo autocineti portae vehementer clausae.

Barbara Maier



Tegite tigres!



Viginti annis ante tigris in regione Bengaliae vivens maximo in periculo fuit. Venatio immoderata et regiones arboribus nudatae id effecerant. Tum institutio nomine 'WWF' tigribus subvenit, et tigres sine metu fetus procreare poterant. Hodie autem denuo una ferarum cottidie necatur. Venatores enim medicinae Asiaticae causa tigres persequuntur. Itaque incolae locorum

venationis et ii, qui in ea re intellegentes sunt, coniungere se debent, ut tigribus salutem ferant.

Barbara Maier



Oratio de rerum natura tractanda principis Indianorum nomine Seeathl (Chief Seattle) dicta

Celeberrima est illa oratio, quam princeps Indianorum (ut indigenae Americae dicuntur) nomine Seeathl (Anglice: Chief Seattle) e natione 'Duwamish' anno 1854° fere habuisse dicitur apud gubernatorem Americanum quendam. Homines colore cutis albi ab Indianis petiverant, ut terram suam venderent.

Verba principis Seeathl ipsius scilicet tradita non sunt. Indiani enim litteris non utebantur. Cum autem Seeathl illam orationem habuit, medicus nomine Henry A. Smith, qui principem valde admirabatur, aderat et verba eius litteris

consignavit. Multis annis post, anno 1887° enim, illa edidit. Quod scriptum primum postea nonnumquam mutatum et suppletum est. Anno 1970° illa clara forma editum est, in qua res oecologicae argumentum principale factae sunt (non mirum, quia eae quaestiones homines nostrae aetatis iure maxime commovent).

Sine dubio haec forma orationis, etiamsi non principis ipsius Seeathl est, Indianorum rationem mundi intuendi et terrae naturaeque tractandae optime demonstrat et nostra quoque aetate prodesse possit. Digna igitur cognoscendo et legendo mihi videtur. Ecce eius orationis excerpta in Latinum conversa:

"Magnus princeps Vasintoniae (Washington) se terram nostram emere velle nobis nuntiat. Magnus princeps nobis etiam verba amicitiae et bonae voluntatis misit. Comiter se gerit erga nos, nam scimus eum nostra amicitia non egere.

Condicionem eius considerabimus. Scimus enim viros albos sclopetis venturos et nobis terram nostram vi erepturos esse, nisi vendimus. Sed quomodo caelum vel calor terrae vendi aut emi possunt? Eae cogitationes a nobis alienae sunt. Cum auram iucundam aëris puri et aquas splendidas non possideamus, quomodo eas a nobis emere potestis?

Decernemus, quando nobis videbitur. Et quaecumque princeps Seeathl dicit, eis magnus princeps Vasintoniae confidere poterit, sicut fratres albi anni tempora reditura pro certo habere possunt. Dicta mea astris simillima sunt. Non occident.

Quaeque pars huius terrae a populo meo sacra habetur, quodque folium splendidum abietis, quodque litus arenosum, quaeque nebula in silvis obscuris, quisque locus arboribus vacuus in silvis densis, quodque insectum murmurans sacrum est mentibus et memoria mei populi. Mortui virorum alborum, ubi portas sepulcri transgressi sunt, procul ultra stellas ingrediuntur et in oblivionem veniunt neque umquam revertuntur.

Nostri mortui huius pulcherrimae et mirae terrae, quae vitam eis donavit, numquam obliviscentur. Nos pars terrae sumus, et terra pars nostrum est. Flores odorati et equi fratres nostri, cervae et aquilae sorores nostrae sunt. Montes saxosi, prata succulenta, calor mannorum corporum, homines - omnes eiusdem familiae partes sunt.

Cum magnus princeps nuntiat se terram nostram emere in animo habere, rem magnam a nobis petit. Magnus princeps etiam dicit se locum nobis daturum, ubi nos iucunde et mores nostros colentes vitam agere possimus. Se patrem nostrum et nos filios suos fore.

Sed id umquam fieri poterit? Deus vester populum vestrum amat, meum autem odit. Viros albos ducit velut pater filium suum, sed filios rubros deseruit. Populum vestrum in diem validiorem reddit. Mox terram inundabitis velut fluvii in saltus decidunt post imbres improvisos, cum populus meus dilabatur simillimus recessui aestus maris celeriter recedentis, sed numquam refluentis.

Deus virorum alborum suos filios rubros non amat, aliter eos protegeret. Orbi esse videntur, quibus numquam auxilium praebetur.

Quae cum ita sint, quomodo fratres fieri possumus? Quomodo pater vester pater noster fieri potest, qui salutem nobis afferat?

Ergo vestram condicionem terrae nostrae emendae considerabimus. Id non facile erit. Nam haec terra a nobis sacra habetur. Nobis hae silvae gaudio sunt. Nescio - sed mores nostri alii sunt ac vestri. Haec aqua splendida, quae in rivis et fluviis fluit, non modo aqua est, sed etiam sanguis maiorum nostrorum. Si hanc terram vobis vendimus, oportet vos conscios vobis esse et filias filiosque vestros docere eam sacram esse et quodque speculum aquae liquidae lacuum de eventibus et memoriis e vita populi mei narrare. Murmures aquae voces sunt maiorum meorum. Fluvii fratres nostri sunt - sitim explent, caudicas ferunt, filias filiosque nostros alunt.

Si vobis terram nostram vendimus, necesse est vos memoria tenere et filias filiosque vestros docere: Fluvii fratres et nostri et vestri sunt, et oportet vos fluvios benigne tractare velut alios fratres.

Viris albis invadentibus viri rubri semper se receperunt nebulae mane in montibus solem orientem fugienti similes. Sed cinis patrum nostrorum sacer est et sepulcra eorum terra sacra sunt. Itaque hos colles, has arbores, hanc terram sacras habemus.

Scimus viros albos mores nostros non comprehendere. Eis omnes partes terrae pares esse videntur. Nam alieni sunt,

qui nocte veniunt et, quaecumque terrae nostrae sibi utilia esse putant, capessunt.

Terra non est soror eorum, sed inimica, et cum eam expugnaverint, porro progrediuntur. Sepulcra patrum relinquunt neque ea colunt. Sepulcrorum patrum et iuris natalis filiorum filiarumque obliviscuntur. Matrem suam, terram, et fratrem, caelum, tractant velut si essent res, quae diripi et emi vel vendi possent ut oves et nitidae margaritae. Fames eorum terram devorabit et nihil relinquet nisi vastitatem.

Nescio - nostri mores alii sunt ac vestri. Aspectus vestrarum urbium magnarum oculis virorum rubrorum dolorem affert. Fortasse id fit propterea, quod viri rubri feri sunt neque vos comprehendunt.

Silentium non est in urbibus alborum virorum. Earum strepitus aures nostros offendit. Qualis vita est, in qua clamor avis vel rixa nocturna ranarum circum stagnum audiri non possunt?

Vir ruber sum et illa non comprehendo. Nos dulcem susurrum venti super stagna flantis et odorem venti imbribus meridianis purgati et gravem odorem pini praeferimus. Aër hominibus rubris magni momenti est, nam omnia eiusdem spiritus participia sunt - bestiae, arbores, homines.

Viri albi aërem, quem spirant, animadvertere non videntur. Sensus eorum malis odoribus obtusi sunt, velut hominis, qui ex multis diebus moriturus est.

Sed si vobis terram nostram vendimus, necesse est vos memoria tenere aërem nobis magni momenti esse et spiritum suum cum omnibus animalibus, quae conservat et alit, partiri. Aura, quae avis nostris primum spiritum dedit, etiam ultimum spiritum eorum accipit. Et auram filiis nostris quoque spiritum ad vitam dare oportet. Si vobis terram nostram vendimus, necesse est vos eam imprimis diligere et sacram habere quasi locum, qua albi quoque viri auram floribus pratorum dulciter odorantem sentiunt.

Conditionem igitur vestram nostrae terrae emendae considerabimus, et si assentiemur, una sola condicione: Oportet homines albos bestias terrae velut fratres tractare.

Feri sumus, et aliter agere nescio. Vidi mille bubalos putescentes a viris albis e tramine praetervehente sclopetis necatos. Ferus sum neque comprehendere possum ferreum

equum fumantem maioris momenti esse quam bubalos, quos nos ad victum comparandum tantum interficimus.

Quid est homo sine bestiis? Si omnes bestiae abessent, homines magna solitudine animi morerentur. Quidquid bestiis inferitur, paulo post hominibus quoque inferetur. Omnia inter se coniuncta sunt. Oportet vos filias filiosque vestros docere solum sub pedibus eorum cinerem aviarum avorumque nostrorum esse. Ut terram vereantur, eis narrate terram impletam esse animorum maiorum nostrorum. Milites fortes, matres amantes, puellae laetae et parvi pueri, qui olim hic vitam agebant et quorum nomina non iam nota sunt, adhuc etiam hanc solitudinem amant, et anguli eius obscuri sub vesperum praesentia spirituum crepusculi umbrantur.

Docete filias filiosque vestros ea, quae nos filias filiosque nostros docemus: Terra mater nostra est. Quaecumque terrae inferuntur, filiis quoque terrae inferuntur. Cum homines in terram spuunt, se ipsos inputant. Id enim scimus: Terra non hominibus est, sed homines terrae sunt. Omnia inter se coniuncta sunt velut sanguis, quo cognati coniunguntur.

Quaecumque terrae inferuntur, filiis quoque terrae inferuntur. Homines textum vitae non creant; nihil nisi fibra in telo sunt. Quaecumque texto infertis, vobis ipsis infertis. Non, dies et nox una vivere non possunt. Nostri mortui vivere pergunt in dulcibus fluviis terrae, gradu leni tempore vernali revertuntur et animae eorum in aura sunt, quae lacus et stagna leviter movet.

Condicionem vestram terrae nostrae emendae considerabimus. Sed populus meus interrogat: Quidnam viri albi volunt? Quomodo caelum vel terrae calor emi potest - vel celeritas antilopae? Quomodo nos ea vobis vendere poterimus, et quomodo vos ea emere poteritis? Num vobis licet terram tractare, quomodo vobis placeat - ea sola de causa, quod viri rubri chartam subscripserunt et viris albis tradiderunt? Quia aërem purum et aquam splendidam non possidemus, quomodo vos a nobis ea emere potestis? Num bubalos redimere poteritis, cum ultimus eorum necatus est?

Sed condicionem vestram considerabimus. Nisi vendimus, fortasse viros albos armatos venturos et vi terram nostram capturos esse scimus. Sed feri sumus: Viri albi, qui ad tempus tantum in potestatis possessione sunt, putant se

deum esse et terram sibi esse. Quomodo autem fieri potest, ut aliqui homo matrem suam possideat?

Condicionem vestram considerabimus et fortasse in ea loca nos recipiemus, quae nobis offertis. Ibi remoti et in pace vitam agemus. Non interest, ubi reliquos dies agamus. Filii nostri patres victos viderunt. Milites nostri pudore affecti et minuti post clades dies suos otiosi agunt et corpora sua cibo dulci et aqua ardente venenant.

Non refert, ubi reliquos dies agamus. Eorum numerus non iam magnus est. Nox virorum rubrorum tenebricosa erit. Nulla stella in caelo erit. Paucas lunas, nonnullas hiemes - et omnium illarum magnarum nationum, quae olim in hac terra vitam degebant et quae nunc parvis manibus per silvas vagantur, nemo supererit, ut ad sepulcra eius populi maereat et fleat, qui olim pariter potens et plenus spei erat ac vester populus.

Cur autem interitum populi mei maeream? Populi ex hominibus constant. Homines autem veniunt et abeunt undis maris similes. Etiam viri albi, quorum deus nunc cum eis vadit et cum eis velut amicus ad amicos loquitur, fatum commune effugere non poterunt.

Fortasse denique tamen fratres et sorores sumus. Videbimus. Hoc unum scimus, quod aliquando viri albi quoque fortasse cognoscent: Deus noster est idem ac vester. Forsitan existimetis vos deum possidere - sicut terram nostram possidere cupitis. Sed id fieri non potest. Ille deus omnium hominum est, et rubrorum et alborum. Haec terra ei magni momenti est, et terram laedere, id est creatorem eius despiciere.

Etiam albi viri interibunt, fortasse celerius quam omnes ceterae nationes. Pergite lectos vestros inquinare, et aliqua nocte in purgamentis vestris suffocabimini. Sed intereuntes clare fulgebitis inflammati vi illius dei, qui vobis hanc terram et imperium bestiarum, silvarum, virorum rubrorum attribuit. Id quadam de causa fecit, quam non intellegimus. Est nobis aenigma magnum.


Forsitan id intellegere possimus, si sciremus, de quibus homines albi somnient, quas spes in animis filiorum filiarumque suorum longinquis vesperis hiemis suscitent et figant, ut ii libenter futurum exspectent. Sed feri sumus. Somnia alborum hominum nobis occulta sunt. Propterea vias

proprias nostras ibimus. Nam ante omnia ius cuiusque hominis veremur: Vitam ita agat, quomodo ei placeat - etiamsi a vita fratrum eius differt. Non multa nobis communia sunt.

Cum ultimus vir ruber ab ea terra dilapsus erit et eius memoria apud homines albos fabula facta est, tum eae orae plenae erunt mortuorum non visibilium populi mei. Si filiae et filii vestri se solos esse putabunt in campis, in negotiis, in viis magnis, soli non erunt. Tota in terra nullus locus erit solitudini consecratus. Noctu, cum viae vicorum et urbium vestrarum conticuerint et vos illas relictas putabitis, plenae erunt illarum magnarum catervarum revenientium, qui olim hanc terram pulcherrimam et mirabilem incolaverunt et adhuc eam amant. Viri albi numquam soli erunt. Iusti et comes sint erga populum meum, nam mortui non sine ulla potestate sunt.

Etiam viri albi commune fatum effugere non poterunt. Fortasse tamen fratres et sorores denique sumus. Videbimus."

Daniel Weissmann



De ursis Hispanicis interituris

Actis diurnis Barcinone (Barcelona) editis nomine 'La Vanguardia' Societas ad Feras Bestias Protegendas (Fondo para la Proteccion de los Animales Salvajes; breviter: Fapas) nuntiat in Pyrenaeis et Cantabricis montibus 60 vel 82 tantum ursos vivere. Illius deminutionis causae sunt et praedones ferarum et institutiones nostrae aetatis, quibus ursi suo loco depulsi sunt. 'Fapas' queritur quoque pecuniam, quam ad silvas quercuum conservandas impendere oporteret, ut ursi glandibus vescerentur, falso in quaestiones theoreticas tantum consumi. Necesse esset custodes ferarum collocare, quia numerus praedonum ferarum crescit.




In fossa ursorum Bernensi in Helvetia ex anno 1981° Pyrenaei ursi tantum vivunt, qui illo anno a therotrophio Barcinonensi Bernam venerunt. Sed hic quoque genus ursorum Hispanicorum conservari non posse praefectus therotrophii Bernensis dicit, quod numerus eorum minor est quam ut educatio fieri posset sine periculo nimiae cognationis (Inzucht).

Hoc tempore tres ursae et duo ursi Pyrenaei in fossa usorum Bernensi vivunt.

Daniel Weissmann

Hortus scholae naturaliter cultus

Hodie haud raro horti coluntur, ut et discipuli et magistri ad naturae tutelam incitentur. Ecce exemplum horti alicuius prope aedificia scholae culti:



- | | |
|---|---------------------------------------|
| 1) Ubi id, quod pomorum oleorumque restat, deponitur | |
| 2) Locus floribus consitus | |
| 3) Ubi herbae plantaeque coluntur et instrumenta rustica conservantur | |
| 4) Agri novales | 10) Stagnum parvum |
| 5) Hortus sine stercore cultus | 11) Locus, ubi erica floret |
| 6) Frutices | 12) Locus, ubi herbae Alpinae florent |
| 7) Vitis hederaeque | 13) Caespites |
| 8) Arbores frondiferae | 14) Nemus ad avium tutelam aptum |
| 9) Arbores pomiferae | |

- | | |
|---|--|
| 15) Insula ligni abiecti | 18) Ubi magistri discipuli-que otio frui possunt |
| 16) Lapides | |
| 17) Locus, ubi magistri varia genera litterarum inter se coniuncta docent | 19) Olera ad scholae culinam destinata |

Barbara Maier



De Petro bestiarum amico

Petrus est vir, qui omnes bestias, quamvis parvae vel parum pulchrae sint, valde amat et curat et tuetur: Si quam arachneam exempli gratia in domus angulo invenit, eam non occidit, sed vel in papyro caute captam, ne laedatur, eam in promoeniano ponit, ut foris vivat, vel etiam, si hiems est, eam domi servat, ne frigore moriatur; similiter quot vespas apesque, si quae aestate per fenestram apertam intravit, inter chartam et poculum vitreum caute, ne usquam vulneretur, includit et praedam suam ad promoenianum adfert! Hic solum, charta erepta, insectum liberat, quod e poculo per aërem laetanter avolat. Ut insecta quamvis minima protegit, sic maioribus bestiis quoque auxilio est, quotienscumque id potest: Omnes enim feles famelicas, quae obviam ei misere errant, colligit et eis hospitium ita dat, ut eius domus similior fiat zootrophio (vel, ut ita dicam, "felitrophio") quam humanae domui.

Quodam die, cum Petrus ille in ferias iisset cum felibus suis per duas hebdomades, ubi domum rediit aërem inquinatum mutare et fenestras aperire voluit. In binis primis cellis omnia recte processerunt; sed in tertia cella, cum fenestram aperiret, duos passeres adspexit, qui in eum minaciter volabant, rostris infestis, deinde et quasi ultimo tempore, cum eum fere tangerent, alis inclinatis viam flectebant et rursus volatum minacem adversus eum renova-

bant etiam etiamque pipilantes, quasi maledicta ederent et hoc parvo clamore Petrum terrere vellent: Qui istos duos parvos passeret illi magno robustoque viro minari vidisset, is David contra Goliath pugnantem sibi finxisset: Nam tenues aves contra gigantem sine timore pugnare velle crederes! Tunc appropinquavit una e felibus, nec passeret eam timuerunt, sed volatus suos simul adversus hominem et felle intrepide perreperunt. Immo alter e passeribus rostro hominis frontem pungere ausus est! Feles ipsa primum has furentes aves dubiose inspiciebat nec prouere audebat; Petrus vero, ne periculum esset, quominus feles e stupore exiret et aves aggrederetur, fenestram cito clausit. Passeres statim sedari visi sunt et ad promoeniani angulum ambo advolaverunt: Per vitrum Petrus vidit in hoc angulo esse nidum, in quo ova posita erant: Tunc rem totam intellexit: Per has duas hebdomades, per quas afuerat et domus vacua fuerat, passeret opinati erant locum esse securum et nidum suum ibi aedificaverant: Non Petrum, sed se pro incolis et dominis promoeniani habebat! Etenim ab illo die Petrus quoque passus est hos veros promoeniani incolas esse: Nam non solum hanc fenestram non iam aperuit, ne aves turbarentur, sed etiam, ne quae feles ab alio ad aliud promoenianum saltaret, ut aves venaretur, nullam suarum aedium fenestram aperuit: Ut aërem mutaret, solum ostium aperiebat, quod saepe molestum fuit, quia vicinorum inquilinorum ciborum odores hac via perveniebant: Modo caulis odor, modo caeparum odor, modo alius haud minus fetidus domum eius, sicut mala pestilentia, invadebat. Tamen Petrus omnia patienter ferebat, ne fortes animosaeque aves perturbarentur: Per vitrum solum eas inspiciebat: Sic patrem et matrem ova invicem incubantes, sic dein passerculos implumes ex ovis orientes, sic deinde parentes cibum proli suae, quae rostris maxime apertis exspectabat, diligenter adferentes vidit; immo dies fuit, quo aviculae volatum discere debuerunt. Per vitrum clausum Petrus primos earum conatus attente inspiciebat. Tandem quodam die passeret parentes et passerculos longe avolantes vidit: Tunc solum fenestram tamdiu clausam aperuit et fetidis ciborum alienorum oloribus tandem caruit. Aliquando tamen tempus desiderabat illud, quo hanc passerum familiam secure viventem per vitrum conspexerat.

Hanc historiolum vobis narraui veram, ut sentiretis, quomodo homo bestiis favere et eorum amicus fieri posset: Sic pax regnat in rerum natura et terra similis paradiso fit.

Genovefa Immè



Quid de rerum natura homines Alexandrina aetate senserint

Nullum est dubium quin aetate illa, quam Hellenisticam sive Alexandrinam appellare consuevimus, animalium tutela ac rerum naturae conservatio maiori coeperint esse curae hominibus doctis ac poetis, quam superioribus factum erat saeculis, licet haud infitiandum sit iam apud Homerum canis illius Ithacensis fidelitatem peregre celebratam esse, et apud Hesiodum incorruptam agrestium operum sanctitatem variis confirmatam esse argumentis.

Nil mirum: Alexandrinae enim aetatis homines, in magnas plerumque urbes congregati, artificiali vitae assueti, modernis artium doctrinarumque instrumentis circumdati atque inventis, rusticam illam et inaeffectatam primordiorum simplicitatem desiderare paulatim incipiunt. Tenerioribus igitur sensibus animantia omnia et inanima communi caritate complectuntur, suum cuique esse in orbe locum necessarium dilucida perspicacitate intellegentes.

Ut aliqua saltem afferamus exempla, Anyte, excellentissima poetria epigrammaton aucatrix, maestum dicat epicedion gallo cuidam, quem fur scelestus unguibus noctu mortifere lacerauit (A.P. VII, 202); ac parvulae miseretur puellulae, cui Miro nomen erat, quae binas tempore uno delicias suas amisit, gryllum scilicet et cicadam, quibus laetari iucundissime consueverat (A.P. VII, 190).

Theocriteus Polyphemus, longe comior ac minus certe timendus quam Homericus eiusdem nominis Cyclops, cum Galateam frustra dilectam summis velit extollere laudibus, marinam nympham in Idyllio undecimo agna teneriorem atque uva gustatu suaviorem.

esse praedicat, pro certo habens fore ut eiusmodi comparationes, ex usu cotidiano depromptae, superbae Nereidi minime displiceant: neque causae quicquam est cur Theocritum aliter sensisse opinemur ac personam ab ipso fictam.

Haec sentiendi ratio, quae Alexandrina aetate invaluit, et ubi regna, ab Alexandri successoribus condita, sub Romanorum imperium sunt redacta, clarissimorum scriptorum poetarumque propria esse perrexit.

Plutarchus, vir ille doctissimus, in opusculo quod "Bruta animalia ratione uti" inscribitur, nihil causae esse ostendit, cur hominum genus ceteris anteponatur animantibus. Homines enim, ut Gryllus cum Ulixee colloquens ait, ea una de causa fiunt interdum animosi, ut saevos vitent cruciatus, quos procul dubio sunt passuri, si in hostium dicionem venerint ac potestatem; animalibus autem tam ferox insitus est libertatis amor, ut nemo umquam viderit beluam beluae servientem. Nec vero praetereundum est quod, ut poeticis significatur translationibus, homo saepius dicitur leonino vel aprino corde praeditus esse, numquam autem humana fortitudine aper vel leo.

Dion ille Prusensis, a quo haud immerito recentiores putantur initium sumpsisse Sophistae, in opere quod "Euboicus" inscribitur subita se eiectionem esse procella in insulae illius litora narrat, ubi simplici ac liberali exceptus erat hospitio a quodam venatore, genuina cuius vita, parvo contenta, naturae absque dubio magis consentanea erat iudicanda quam mollis delicatusque metropolitanorum victus.

Ut digna tractatiunculae apponatur clausula, Evangelicas commemoremus parabolas, in quibus, ut divinae veritatis praecepta patefierent, naturales saepius usurpatae sunt imagines, ut ovis a pastore amissae, et agricolae semina spargentis, et avium in diem cibum sibi comparantium, et aliae eiusdem generis complures.

Restat ut, vicesimo p.Ch.n. iam fere saeculo transacto, antiquam illam imitemur sapientiam praestantissimorum ingeniorum auctoritate commendatam.

Orestes Carbonero



De monachorum paradiso terrestri

Aetate, quae vocatur media, cum permagna monasteria aedificabantur, monachi sibi proponebant, ut paradisi terrestrem crearent. Vineta, pomaria, hortos floribus herbisque consitos colebant, arbores caedebant et ligno ad aedificia ingentia struenda utebantur. Monumentis his Deo laudes et grates agebant. Agros arabant ibique sementes maximas faciebant. Greges ovium prata pascebantur. Magno studio magnisque laboribus monachi fructum praediorum augebant. Homines illi putabant se concorditer cum natura vivere et ipsos partes naturae esse. Quod etiam monumenta eorum demonstrabant. Arces fornicesque silvae arbores imitabantur. Ornamenta columnarum saepe folia lapidea ostendebant. Apparet hominem numquam maiore benevolentia erga naturam fuisse quam temporibus monasteriorum magnorum.

Barbara Maier



De panthera gratias agente

Plinius Maior nobis rem mirabilem tradit:

Media in via panthera viatori cuidam apparuit. Ille magno timore motus statim regredi coepit. Panthera autem eum secuta est blandiens magnoque dolore oppressa. Catuli eius enim in foveam delapsi erant. Timore remoto viator pantheram secutus est. Fera enim eum prudenter unguibus secum trahebat. Viator, ubi primum causam maeroris intellexit, catulos fovea eximere potuit. Tum fera cum catulis liberatis viatorem per totam silvam prosecuta est. Quo modo gratiam ei rettulit.

Fabula ea demonstrat homines et feras amicitiam facere posse.

Secundum Plinium Maiorem

Barbara Maier



De Beato Francisco, qui omnes creaturas amabat

Beatus Franciscus saepe praedicabat avibus, a quibus at-
tente audiebatur. Aliquando, cum magnum numerum avium rep-
perisset, eas salutavit: "Fratres mei," inquit, "necesse
est vos multum creatorem vestrum laudare. Plumis vos in-
duit, pennas vobis ad volandum dedit, aere puro vos dona-
vit." Aves vero versus Beatum Franciscum colla extende-
bant, rostra aperiebant et eum aspiciebant. Beatus Fran-
ciscus abiens eas tunica tangebatur. Et aves non avolabant.
Postremo permisit eas avolare et omnes simul avolaverunt.

Quodam die, cum praedicaret, garrulitas hirundinum, quae
nidos faciebant eum turbabat. Tum: "Sorores meae", inquit,
"tempus est me loqui. Vos enim satis locutae estis.
Tacete, quaeso. Verba Dei audite." Et hirundines oboedien-
tes statim conticuerunt.

Secundum Legendam auream.


Barbara Maier



Errata

in Rumoris Varii fas- ciculo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi de- buit
4/95	89,v.12	diurnariis	diurnis

Nefertari, regina Aegyptia, visitantes accipit



Pars picturarum restauratarum in sepulcro
Nefertari reginae

Die 4° mensis Novembris anno 1995° visitantibus primum
licuit sepulcrum reginae Aegyptiae nomine Nefertari apud
urbem Luxor in Aegypto meridiana situm intrare.
Ex quo archaeologus Italicus Ernestus Schiaparelli id
sepulcrum anno 1904° invenerat, aditus non licebat. Propter

picturas valde laesas - aqua imbris et calor sedimenta
salaria effecerant - sepulcrum magnitudinis 430 circiter
metrorum quadratorum clausum erat. Perpaucis tantum electis
aditus concessus est.


Post studia et contentiones per plura decennia ad renovan-
dum sepulcrum in valle reginarum 700 chiliometra in meri-
diem a Cairo (Kairo) distante situm tandem visitantibus
apertum est.

Restauratio nunc demum effici potuit ex progressibus artis
restaurandi novissimo tempore factis. Anno 1986° Institutum
ad Artificia Conservanda 'Getty' (Getty Conservation Insti-
tute) Californianum una cum administratione artificiorum
antiquorum Aegyptia restaurationem huius sepulcri pretiosi
coepit.

Restauratio sex annos duravit et sex milionibus dollariorum
constitit. Cottidie 150 tantum viatoribus sepulcrum intrare
conceditur, et 10 tantum minutas ibi versari licet, ne aqua
condensata ex spirando hominum orta picturae iterum laedan-
tur. Photographare interdictum est. Introitus 100 ponderi-
bus Aegyptiis (33 Francis Helveticis) constat.

(Acta diurna Bernensia 'Der Bund', die 7° mensis Novembris
anno 1995°)

Daniel Weissmann



Mors

Hoc ego sum quod forsitan est, quod mitigat aevum
dum fuga lucis adest nec fuga noctis abest

vesperis esuries convivia frustrat eoa
amor diurnis vescitur hostiis
vulturis harpa riget, chordis praedatur abyssum
amor supremis palpitat osculis
vesperis intuitus deliria vestit hyaenae

non quia sim nihilum, sed quod nihil esse requiro

vesperis effigies peregrina silentia repit
amor dolosis frangitur ignibus
vulturis orbis abit, ventosa incendia tranat
amor severis exsulat angelis
vesperis interitus laniat cava viscera rerum

Hoc ego sum quod forsitan est, quod mitigat aevum
dum fuga noctis adest nec fuga lucis abest.

Maurus Pisini



I trädgården - In horto


Sedan jag mötte min älskade
ja, det var just här i trädgården
bredvid rosenplantan, strax intill
den lilla stenkanten bevuxen med
kvickrot, jag minns det så väl,
som jag förste lyfte blicken
upp mot hans
och såg hans ögon med välvda bryn,
vet jag vad hög, ren luft är.

Ex quo cum primis visi ridens adamatum
-sic est- horto res haec fuit et prope tunc
pulchro vere rosas florentes et prope parvam
oram saxeam ubi gramina fortia erant,
tam bene rem memini, dum tollo lumina primum
eius contra oculos atque supercilii
arcum, cognovi aer quid sit purus et altus,
aer qui spirat aethera per nitidum.

Anna Maria Nilsson Suetice scripsit, Iohannes Granata in
Latinum vertit.

RES MIRAE NOSTRIS DIEBUS FACTAE

De solis defectione tota nuper facta



Solis defectio ad monumentum celebre 'Taj Mahal' in India
(imago photographica pluries luci exposita)

Die 3^o mensis Octobris anno 1995^o homines in Asia occasionem raram solis defectionis totae observandae habuerunt. Ab Irania (vel Persia) et India usque ad Kambodscham et Philippinas insulas permulti homines oculos parvis quadris vitreis nigris tutati lunam se ante solem ponentem observaverunt, cum per momentum temporis dies nox factus est.

Non solum anno 585^o a.Chr.n., cum Thales, ille praeclarus philosophus Graecus solis defectionem et praedixit et causis naturalibus explicavit, illius aetatis homines scientiae imperiti magno timore propter naturae spectaculum capti sunt, sed etiam nostra aetate multi solis defectionem omen malum putaverunt, et astrologi Indici calamitates, velut terrae motus, vaticinati sunt.

In Kambodscha et Thailandia monachi Buddhistici tympana et aereos discos (vel gongas) pulsantes pyrobolisque chartaceis (1) utentes maximum strepitum effecerunt ad daemones malos fugandos.

Variae fabulae ad eam rem pertinentes narrantur, velut in Thailandia: Rahu, daemon tenebrarum, frater minor est solis et lunae. Quia eum taedet semper luce et splendore fratrum maiorum vinci, eos devorare conatur. Interdum id ei succedit, et terra tenebris velatur. In actis diurnis 'Thai Rah' clarus astrologus hominibus consilia dedit, quid illa die obscura esset faciendum: Cum Rahu daemonis numerus octo et color eius niger esset, ad calamitates avertendas oportere octo dona nigra ei offerri, sive gallinas nigras, sive fabas nigras, sive cocacoram vel coffeam - omnia Rahu daemone grata esse. Tum pretia nigrarum gallinarum intra paucos dies sexies aucta sunt.

In Sina (China) autem homines, qui ex parte tantum illud spectaculum videre potuerunt - Pekini (Peking) 24 centesimae, Honcongi (Hong-Kong) 64 centesimae solis luna opertae erant - , quamquam aliis rebus Sinenses superstitione non vacare dicuntur, solis defectione non terrentur. Secundum fabulas Sinenses canis caelestis solem mordet. Dicta, quae philosophus Xun-Zu ante 2300 annos scripsisse traditur, repetunt: phaenomena naturalia, velut solis defectionem, omina mala non esse.

1) pyrobolus chartaceus Knallfrosch/pétard/petardo/banger

Daniel Weissmann

DE NOVARUM TERRARUM EXPLORATORIBUS

Pars altera: De sancto Brendano abbate

Sexto post Christum natum saeculo Europa tota impetibus acerrimis, bellis crudelissimis, occupationibus migratio-nibusque vexabatur horridis. Totante? - Minime! Insula quaedam extremo in occidente sita ac Atlantici undis Oceani circumfusa pace et quiete fruebatur. Quae insula, quae Latine Hibernia, vernaculis autem sermonibus "Irland(e)" vocatur, paulo ante a sancto Patricio ad fidem Christianam adducta erat. Cum aliis in terris primi Christianismi nuntii aegre modo et vix ad finem pervenirent neque raro ultimam propter evangelium nuntiandum diem obirent, in Hibernia incolae novam religionem libenter et sua sponte accipiebant. Iam Patricio vivo multa monasteria et multae ecclesiae aedificatae sunt. Hibernis, qui sunt homines pacifici et mites, evangelium magis placebat quam Germanis ferocibus.

Cum in Europa reliqua barbari "populorum migratione", quae dicitur, culturam et civilitatem a Romanis olim exstructam ferro ignique delerent, in Hibernia, quae numquam Romana fuerat, eadem cultura et eadem civilitas servabatur, ut postea denuo Europae reliquae tradi posset. Imprimis in monasteriis Hibernicis antiquorum temporum thesaura conservabantur et restaurabantur. Multorum opera poetarum Romanorum Graecorumve hodie tantummodo ea de causa novimus, quod in Hibernia asservata sunt.

Monachi autem Hiberni non modo codices antiquos servare, sed etiam evangelium gentibus paganis ferre volebant. Qua de causa semper semperque monachi nonnulli patria navicula relicta in Europam abierunt, ut fidei lucem Christianae barbaris accenderent. Quorum notissimi sunt Columbanus et Gallus, qui usque in Helvetiam pervenerunt.

Inter illos monachos missionarios etiam Brendanus quidam erat. Qui abbas cum comitibus aliquot per Oceanum Atlanticum navigabat et verisimiliter usque ad oram Americanam pervenit. Dolendum est, quod ispe nihil scripti reliquit. Navigatio eius tandem tribus saeculis post descripta est ab alio monacho, qui multa inseruit, quae vera haberi ne-

queunt. Itaque homines scientifici diu totam sancti Brendani navigationem ficticiam et fabulosam habebant. Hodie autem realia a ficticiis bene seiungi possunt neque historigraphi serii dubitant, quin Hiberni monachi - utrum Brendanus an alius vocati sint, non magni momenti est! - Atlanticum Oceanum superaverint et oram Americanam attigerint.

Anno circiter 570° p.Chr.n. Barinthus quidam monachus Brendanum abbatem adiit et de itinere nuper facto narravit. Quo itinere usque ad terram promissam se venisse dixit. Tunc Brendanus his auditis et quattuordecim monachis fratribus electis simile iter suscipere decrevit. In Dingla paeninsula extremo in Hiberniae occidente sita navigium Hibernicum construxerunt, quod "córaclum" vocabatur. Talia coracla etiam hodie sunt in usu: Sunt navigia simplicissima neque ulla luxuria praedita, sed aptissima ad navigandum per Oceanum altum. Quisquis negaverit coraclo usque ad Americam perveniri posse, videat, ne erret: Vir explorator hodierni temporis, Thor enim Heyerdal Norvegiensis, rate nomine "Kon-Tiki" maiorem Oceanum, Pacificum enim superavit!

Brendanus abbas Hibernia relicta multas insulas visitavit velut Insulas Ovinas (vulgo: Färör), Materiam (vulgo: Madeira), Insulas Accipitrinas (vulgo: Acores), Insulas Bahamenses (vulgo: Bahamas), Islandiam (sive Thulen; confer "De novarum terrarum exploratoribus" partem primam!). Brendanus sociique eius multa etiam pericula sustinuerunt: In Islandia, ut exemplo utar, fabri giganti eis occurrerunt et carbones fervidas in eos iactaverunt. Quod fabula esse videtur, re vera vulcani eruptionis descriptio est (ne obliviscamur navigationem tribus saeculis post factum scribendo esse retentam!). Monstrum quoque viderunt, bestiam horridam et timendam. Nos, qui talia "monstra" bene novimus, eam nihil nisi orcam (Theodisce: Walross) fuisse scimus.

Deinde monachi ad terram promissam pervenerunt: Per quadraginta dies hanc terram sunt perscrutati, sed finem invenire non poterant. Quapropter eam non insulam, sed terram solidam sive continentem putaverunt. Tandem fluvii

ripam attigerunt, qui ab oriente in occidentem fluit. Qui latior erat, quam quem superare possent.

Quid hoc sibi vult? Si quis navigio conscenso ab Hibernia per Oceanum Atlanticum navigat, numquam fluvium ab oriente in occidentem fluentem invenit nisi in America! Susplicari licet monachos Hibernos in sinum magnum inter Mariae Terram (vulgo: Maryland) et Virginiam situm appulisse, Appalachos montes superavisse, denique ad Ohii fluvii ripas advenisse.

Alia enim testimonia Hibernos in America fuisse testantur: Vicingi saeculis decimo et undecimo p.Chr.n. in Americam navigantes Hibernorum vestigia invenerunt haud pauca. Exempli gratia Carlsefni(us) quidam a duobus pueris Americanis indigenis captivatis haud procul ab illorum terra aliam terram esse accepit, quae incoleretur a viris albis, qui magna voce cantantes vexilla alba prae se portarent. Sic illi pueri Indiani processionem sacram descripserunt. Vicingi illam terram ceterum Hiberniam Magnam vocabant, quod Hibernos ibi vivere pro certo habebant.

Hispani saeculo quinto decimo et saeculo sexto decimo in Americam navigantes ab indigenis legendam acceperunt hanc: Quetzalcoatlus, deus quidam albus et a virgine partus, olim ex oriente per mare ad oram Americanam appulerat. Cuius signum dilectum crux erat. Sacrificia humana repudiabat, amorem et caritatem praedicabat. Tandem nave conscensa per alterum Oceanum navigaturus Americam reliquit, sed antea promiserat posteros suos aliquando ex oriente venturos esse. Indiani ergo iam multis saeculis ante Hispanos advenientes Christianismi particulas cognoverant. Quas quis eis apportaverit, haud scimus. Sed verisimile est monachos Hibernos coraclis in Americam navigasse.

(Notum mihi quidem est redactorem nostrum principem, Danielem Weissmann, hanc fabulam non ab Indianis, sed ab Hispanis traditam esse credere. Sed cur redactores principes numquam errent?)

Quibus autem de causis Hiberni iter maritimum tam longum et tam periculosum susciperent? Graeci et Phoenicii mercaturae causa navigaverant, Vicingi et Angli postea novas

sedes quaesitabant. Hiberni autem desiderio terrae promissae capti paradisum quaerebant.

Martin Meier



EPIGRAMMATA NATALICIA

Festus Christi nati dies mercatoria negotiositate corruptus

Donis te afficiam, modo tu quoque munera des mi;
reddere si noles, iam nihil accipies.
Hunc festum ratione diem prava maculamus:
vendenti tantum mutua dona placent.

De exitiali novum salutandi annum ratione

En crepitante novum plebs stultior igne salutatur
annum, quo sperat cuncta futura sibi
prospera; sed digitis oculove suo mutilata
vix suscepta, nefas!, irrita vota facit.

Nasuta anus Epiphaniarum symbolus

Ultima cum venias, anus unco cognita naso,
non aequa pompa Te celebrare solent;
non alios patitur sumptus vacuata crumina;
ordine mutato, postmodo prima veni!

Puerilis candoris desiderium vehementius diebus hisce fit

Felices pueri, quibus anni festa relucent
vertentis, pinus arboris ut globuli!
Ast ego nunc dubio fragilis correptus amaro
hoc saltem spatio credulus esse velim.

Orestes Carbonero

SOLUTIONES

Ecce solutio aenigmatis libelli 4/95.

1	N	O	V	A	S
2	O	P	E	R	A
3	V	E	N	I	T
4	A	R	I	D	I
5	S	A	T	I	S

1. Res Romani eversiones rei publicae nominabant
2. Fructūs poetarum vel artificum
3. Ad nos se confert
4. Aqua carentes (Nom.pl.m.)
5. Qui non plus cupit, habet

Daniel Weissmann



Dicta factaque veterum

Thales Milesius, filius Examii Cleobulinaeque, unus ex septem Graeciae sapientibus, satis peritus astrologiae illis temporibus fuit et primus solis defectionem, quae Astyage, filio Cyaxaris nepoteque Phraortis, regnante, die 28° mensis Maii anno 585° a.Chr.n. evenit, exacte accurateque praedixisse dicitur.

Zenonis Stoici Citiensis, filii Mnaseae, sententia praeter virtutem cetera omnia, quae bona nominibus videntur, utique nullius momenti esse arbitratur.

Demonax Cyprius (90 a.Chr.n. - 10 p.Chr.n.), cum hominem quendam veste gloriantem vidisset, prehensa veste: "Atqui hanc", inquit, "ante te ovis gestavit, et fuit ovis."

Demonax tandem iam centum annos natus se voluntaria morte fame perire ipsum damnavit, ut effugeret molestias aetatis extremae exactaeque. Amicus eius Lucianus Samosatensis, philosophus ille celeberrimus, sophistes, id nobis rettulit.

Socrates interroganti, qui posset fieri, ut gloriam immortalem sibi pareret, respondit: " Si talis semper eris, qualem videri te volo."

Socrates breviter ante mortem apud iudices dixit magna se teneri spe bene sibi evenire, quod mitteretur ad mortem. Ad humiles preces descendere noluit, non quo si vellet eludere, sed quia nullius culpa sibi conscius erat.

Socrates non modo hoc modo illud, sed idem semper dicebat: animos hominum divinos esse.

Socrates nihil praemii discipulos poscebat, sed sapientiam sine pretio semper eos docebat.

Alcibiades Atheniensis, filius Cleiniae, coniux Deinomachae, filiae Megaclis, qui divitiis nobilitateque generis superbiebat, cum Socrates ei persuasisset nihil interesse inter nobilitatem Alcibiadis et humilitatem cuiuslibet baiuli, afflictus rogavit, ut ille viam virtutis sibi monstraret.

Aristippus Cyrenaenus interroganti cuidam, qua re sapiens differret ab indocto: "Ambos nudos", inquit, "ad homines ignotos mitte, et ilico videbis."

Xerxes, filius Darei Atossaeque, Persarum rex, templa Graecorum incendisse dicitur, quia parietibus includerent deos, quibus omnia vacare et patere deberent, quoniam eorum templum domusque totus hic mundus esset.

Aristippus Cyrenensis (435 - 366 a.Chr.n.) interrogatus, quomodo Socrates mortuus esset: "Utinam et ego", inquit, "sic moriar!"

Pythagoras, filius Mnesarchae, praecipiebat: Somnum ne prius oculi videant, quam unumquodque diei exacti factum diligenter tecum consideraveris.

Quintus Sextius quidam, discipulus Pythagorae, nullo usquam vespere somno se dedit antequam interrogavisset animum suum: "Quod hodie malum tuum sanasti? Qua parte melior es?"

Stoici philosophi - velut Zeno Citiensis, Cleanthes Assius, Chrysippus Solius, Aristo Chius, Herillus Carthaginiensis, Dionysius Heracleensis atque Sphaerus Borysthenius - negaverunt quemquam posse bonum esse hominem nisi sapientem.

Agesilaus II, filius Archidami IIⁱ, rex Spartaee, cum tonsor quidam interrogasset, quomodo tonderet: "Tacitus, quaeso", respondit.

Alexander Pheraeus, qui anno 358° a.Chr.n. est trucidatus, in cubiculum uxoris, priusquam ipse ad eam veniret, praemittere solebat, qui omnes arculas et vestimenta scrutarentur, ne quod telum occultaretur.

AMICUS



"Nihil interest, quid tibi die natali donem - utique postea omnia permutas."

Aenigma


QVO PRAEMIUM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA KALENDIS MARTIIS EST! SOLVTIONES IN UNO LIBELLORUM PROXIMORUM DEMONSTRABIMVS.

PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER
secundum et tertium praemium LIBELLVS

1. amata Petrarcae poetae (Acc.)
2. mensis quidam (Adj. n.)
3. una Musarum
4. indignabor vel stomachabor
5. homo pauper (Vocativus)
6. vaderes

1	2	3	4	5	6
2					
3					
4					
5					
6					





Acta diurna Hispanica 'El País' die 8° mensis Ianuarii 1996
In Latinum vertit Daniel Weissmann



Regno di Berenice

Associazione Artistica Culturale

Via Roma, 1 - ☎ 0823/621494

81043 CAPUA (CE)

O MULIERES, AUDITE, AUDITE!

IN ITALIA SOCIETAS NATA EST, QUAE 'BERENICES REGNUM' DICITUR; CAPILLORUM LONGORUM CULTUI PROVEHENDO CONSTITUTA. IPSA PRIMA ET UNA EST IN UNIVERSO ORBE TERRARUM.

UNIVERSAE FEMINAE, QUAE PROMISSAM CAESARIEM MAGNOPERE OSTENDITIS PASSOSQUE CRINES AMATIS ET DILIGENTISSIME COLITIS, QUACUMQUE AETATE, CIVITATE AUT NATIONE, INVITAMINI UT IPSI SOCIETATI LIBERALISSIME FAVEATIS MUTUAQUE AMICITIA CAPILLIS IUNGAMUR LONGIS.

EPISTULAS VESTRAS QUAM PLURIMAS EXPECTO. INSCRIPTIO CURSUALIS EST:

PROF. FLORINDO DI MONACO

VIA ROMA 1

I - 81043 CAPUA (CASERTA)

ITALIA

FERIAE LATINAE NICENSES DECIMAE

IN AEDIBUS SEMINARII DIOECESIS NICENSIS

C E L E B R A B U N T U R

a Dominica die 18^a m. Augusti 1996, hora 17^a
ad Dominicam diem 25^{am} m. Augusti 1996, hora 14^a

Sub auspiciis Operis Fundati Vaticani

"L A T I N I T A S"

Schedae inscriptionis rogandae sunt a:

M. Clément DESESSARD
Résidence des Collines, C.9
500, rue Léo Brun
Fr-06210 Mandelieu
Tel. 93 49 01 91 vol 93 08 67 93



Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS für mich selber)

_____ <-----

Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:)

Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte frankieren

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann
publicity
Stadthausstrasse 65
CH-8400 Winterthur

RVMOR VARIVS
c/o D. Weissmann
Tellstrasse 30
3014 Bern

PP/Journal

4702 Oensingen


Hic solutionem inscribe et chartam mitte!

1	2	3	4	5	6						
2											
3											
4											
5											
6											

Nomen emittentis et inscriptio cursualis:

5+6/95

IDIBVS FEBRVARIIS
MCMXCVI



RVMOR VARIVS



TOMVS 18

FASC. 111